



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

Sectio Qvarta. Tertia ratio ex multiplici, eoque reflexo modo, quo Theologi,
& Prudentes directas solent resolvere quæstiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

rei, ut honestè operemur, oritur ex perfectione modi intelligendi, & operandi, vel ex imperfectione? Non primum; quia tantum abest, ut tale iudicium de honestate necessarium sit ex perfectione, quin quia omne iudicium de honestate rei invidens est, vel erroneum, vel saltem capax erroris, hinc est, quòd nec in naturà integrà, nec in elevatà, consideratà ante omnem culpam, locum habet, eò quia uterque status longè excedit tam puram naturam, quàm naturam lapsam: ergo ratione perfectionis necessarium non est iudicium de honestate, ut honestè operemur. Non ratione imperfectionis; quia ut imperfectio status naturæ puræ, aut lapsæ salvetur, satis est, ut iudicium invidens de honestate sit illis connaturale, non autem necesse est, ut sit necessarium: ergo ratione imperfectionis status naturæ lapsæ non est necessarium iudicium invidens de honestate, ut honestè operemur: ergo si, ut in statu innocentie honestè operemur, satis se solo est iudicium modale de probabilitate honestatis, immò adeo satis est, ut illud solum necessarium sit, nec in eo statu haberi possit invidens de honestate iudicium; multò magis, ut in naturà lapsà honestè operemur, satis se solo erit iudicium modale de probabilitate honestatis; etsi huic statui ratione suæ imperfectionis conforme sit ipsum iudicium invidens de honestate.

N. 126. Confirmo; quia status naturæ integræ ad iustitiam originalem elevatæ differt, & excedit statum naturæ lapsæ, non tantum in aliis pluribus, sed etiam in modo intelligendi, & agendi circa incerta; sed excessus ille non est nisi, quòd statum naturæ integræ deceat immunitas ab omni errore, & dedecet omnis error, & omnis erroris capacitas, & ideo in naturà integrà omne iudicium directum invidens repugnabat: ergo suspensio omnis iudicii directi invidens de honestate est excessus, quo natura integræ in modo opinandi, & operandi circa incerta excedit ipsam naturam lapsam: ergo modus opinandi, & operandi, suspenso omni directo invidenti de honestate iudicio, & concepto solo reflexo de probabilitate honestatis, est modus opinandi, & operandi longè perfectior, quàm sit, vel neglecto iudicio reflexo solum invidens directum de honestate iudicium concipere; vel cum iudicio directo invidenti de honestate simul concipere iudicium reflexum evidens de probabilitate honestatis. Si ergo talis modus operandi honestè sub solo reflexo evidenti iudicio de probabilitate honestatis est adeo excedens, perfectus, & necessarius ipsi naturæ integræ, quo jure

Neoterici hunc modum naturæ lapsæ interdicerent, & nobis legem statuerent vetantem, ne suspendamus iudicium directum, five probabile, five probabilius, five moraliter certum, si honestè operari velimus? Amabo ego Deiparam, Angelos, Beatos, & Adam in innocentie statu imitari, eorumque intelligendi, & honestè operandi modum potius assequi, quam Neotericos ipsos, & quidem citra horum injuriam.

SECTIO IV.

Tertia ratio ex multiplici, eoque reflexo modo, quo Theologi, & Prudentes directas solent resolvere quæstiones.

§. I.

Judicium de opinionis communitate, vel autoritate.

SUMMARIUM.

Theologi sæpe hanc solâ formâ reflexâ, communis est opinio, explicant suam mentem, n. 128.

Si satis est solum iudicium reflexum de communitate opinionis, cur non de probabilitate? n. 129.

P. Possevinus numerat sexaginta Summas Antiquorum, n. 130.

Nullus est Theologus, qui aliquando non suspendat iudicium directum de veritate, solo contentus de communitate, ibid.

Vel de autoritate, n. 131.

S. Thom. videtur deobligare à iudicio directo de veritate, n. 132.

Si satis solum reflexum de extrinsecâ, multò magis de intrinsecâ probabilitate, n. 133.

Sicut rectè respondet, qui dicit ex. gr. D. Thomam hoc docere licitum, suspensio omni iudicio de veritate opinionis D. Thomæ; ita rectè operatur, qui sub eo operatur, hoc suspensio, n. 134. 135.

Modus suspendendi iudicium directum est Prudentum testera, n. 136. & 137.

Exemplo iudicium illustro; nam Testes, qui obligantur jurare, an hoc audierint, non ideo jurant verum id, quod audierunt, n. 138.

PLurima ex famosioribus TT. congesti N. 127: loca disp. 22. quibus ad oculum ostenditur citatis eorum verbis, quantum in suo modo loquendi, & resolvendi quæstiones directas, familiare illis sit, tam in materiâ speculativâ, quàm practicâ, appellare unice ad iudicium reflexum. Modò in presenti sectione demonstrare contendo, quàm feliciter Theologi Deipare, Angelorum, Beatorum, & Adam vestigia presserint; non quidem trahendo

Bb eorum

corum loca, ut feci, sed adducendo multiplices reflexos probandi, & resolvendi modos.

N. 128. **Locus Topicus**, & quidem prudentibus, & **TT.** satis notus est sapientem suam non nisi reflexè exponere per opinionis communitatem, vel auctoritatem, suspenso sapius omni iudicio directo; frequenter enim has phrasas ad manum habent: Communissima, communior, aut communis opinio negat, aut affirmat hoc licere; suspenso prorsus omni iudicio directo de licentiâ.

N. 129. **Quæro modo**, an illud iudicium modale de communitate opinionis, ex. gr. affirmantis licere, æquivalet iudicio directo licet, an non æquivalet? Si æquivalet, habeo intentum, quod nullum necessarium sit iudicium directum, sed satis sit solum reflexum, cum hoc æquivalet directo. Si non æquivalet, habeo etiam intentum, quod ut quis honestè operetur, satis sit iudicium reflexum: etenim Theologi passim solo iudicio reflexo de communitate opinionis utentes hoc suadent; per hoc enim quod dicant, opinionem esse communem, & eam non impugnant, iidem Theologi censent licitum sequi eam opinionem communem, sive eam docendo, sive juxta eam operando. Si ergo solum reflexum de communitate opinionis iudicium juxta ferè omnes **TT.** ita loquentes, & discurrentes satis est, ut quis eam opinionem doceat, & practicet, cur satis non erit solum reflexum evidens de probabilitate? Nam tam opinio communis potest esse falsa, quam opinio certò probabilis: ergo sicut iudicium solum modale de communitate opinionis affirmantis aliquid licere, eâ opinione non impugnatâ, & suspenso à **TT.** omni iudicio directo de eisdem opinionis communis veritate satis est, ut quis eam licitè sequatur; ita etiam satis erit solum iudicium modale de probabilitate opinionis affirmantis licere, suspenso omni directo de eisdem opinionis probabilis veritate. Sanè hoc negari non potest, nisi illud negetur; illud autem negari nequit, nisi Theologorum morem damnemus, qui suspenso omni directo de opinionis veritate iudicio sæpe contenti sunt dicere, ex. gr. **Opinio affirmans est cõmunis; & per hoc æquivalenter censent, quod licitum sit eam sequi, & exequi.**

N. 130. **Urgeo**; quia si quis meæ fidei experiendæ causâ levi oculo lustrare velit, vel Summas Antiquorum, quarum tam ingens copia fuit, ut P. Possévinus in suâ *Bibliothecâ lib. 3. cap. 22.* numeret supra 60. immò M. Tabiena in suæ *Summæ Proœmio* scribit innumeros penè, & diffusos, & inter se discordes extitisse suo

tempore, (nempe circa annum 1500.) in materia morali libros, ut refert Bordonus *cap. 6. n. 43. & 47.* ubi ostendit opinionem de licito usu fuisse antiquissimam: vel Modernorum, quorum non est minor copia, & quod magis est, fortè non minor est doctrina: sive prætermittis Summis revolvere velit Antiquorum, & Recentiorum **TT.** volumina, vix aliquem, aut purum Summistam, aut simul Theologum, (plurimi enim Summistæ famigerati Theologi fuerunt) qui vel sæpe, vel aliquando contentus non fuerit suspendere directum iudicium de veritate, aut licentiâ opinionis communis, & ea communi opinione non impugnatâ, unice dicere, ex. gr. quod opinio affirmans talem actum licere sit communis: ergo solum iudicium modale de communitate opinionis, suspenso omni directo de eius veritate, aut falsitate, satis est, ut licitè eam sequamur, juxta modum, & morem dicendi ferè omnium **TT.** cur non etiam satis erit solum modale certum de probabilitate, suspenso omni directo de veritate, aut falsitate opinionis?

Alter locus Topicus plerisque **TT.** & **N.** Prudentibus obvius est solum iudicium reflexum de opinionis auctoritate, omisso directo de eisdem veritate. Passim enim exarditus Lector in omni, sive puro Summistâ, sive simul Theologo offendit hunc loquendi modum. **Opinio D. Thom. vel D. Bonavent. vel Scoti, vel horum, aut illorum, aut ferè omnium TT. est, quod talis ex. gr. contractus, vel actio licet, suspenso sæpe omni directo de veritate opinionis à D. Thom. aut à TT. citatis assertæ iudicio.** Ecco hic modus loquendi Theologis obvius, alienando unice, quod talis opinio sit S. Thom. aut S. Bonav. aut aliorum, est purè reflexus; & juxta eosdem **TT.** satis est, ut quis licitè doceat, & sequatur id, quod ex. gr. opinio D. Thom. asserit ut licitum: ergo si solum reflexum de auctoritate opinionis iudicium, juxta ferè omnes Theologos, satis est, (vix enim ullus est, qui aliquando non utatur eodem loquendi, nempe dicendi hanc opinionem ex. gr. esse D. Thom. & suspendendi iudicium proprium de falsitate, aut veritate opinionis à D. Thom. assertæ) cur non satis erit solum reflexum certum de probabilitate, suspenso directo de veritate opinionis assertæ certò probabilis?

Confirmo 1. quia, ut dixi *disp. 12. n. 125. N. S. Thomas* dicere videtur, quod ut licitè operer, satis sit, ut sciam opinionem putari veram à viris probis, & doctis: ergo juxta S. D. nullum necessarium est iudicium directum

rectum de veritate opinionis, & honestate operis, sed satis reflexum de certâ probabilitate licentiæ, fundatâ in autoritate sapientum hoc asserentium.

N. 133. Confirmo 2. quia asserens opinionem esse Divi Thom. non ideo asserit esse veram, ut certum est; & tamen asserens illam esse D. Thom. & eam non impugnans, tacite insinuat licitum esse ob tanti Doctoris autoritatem eam sequi: ergo etiam asserens opinionem esse certò probabilem, eamque saltem non impugnans, esto eam non asserat veram, tacite insinuat licitum esse juxta eam operari: ergo sicut solum reflexum de probabilitate extrinsecâ, seu de autoritate judicium, suspensio omni directo de veritate, satis juxta ferè omnes est, ut quis licitè operetur; longè magis satis erit solum reflexum certum de intrinsecâ probabilitate, suspensio omni directo de veritate, præsertim cum probabilitas extrinseca tandem fundetur in intrinsecâ.

N. 134. Confirmo 3. exemplo virorum maximè prudentum. Nemo negabit interrogatum, an liceat statim post mortale omittere contritionem, aut confessionem, prudentissimè responsurum, dicendo unicè: *S. Thomas asserit licitè omitteri*; suspendendo omne directum de veritate opinionis Divi Thom. judicium: ergo nemo negabit, quòd prudenter quoque operabitur, qui suspensio omni directo de veritate dicte opinionis judicio, & ductus hoc solo reflexo judicio, *S. Thomas dicit, quòd non debet obligatio consistendi statim*, omitat tunc confessionem: ut enim interrogatus optimè responderet per solum judicium reflexum, dicendo unicè, quid dicat S. Thom. & non asserendo tamquam verum, quòd S. Thomas dicit; ita operans optimè operatur per solum judicium reflexum, quòd S. Thomas doceat peccatorem non obligari statim ad contritionem, aut confessionem; & non judicando directè, quòd non obligetur.

N. 135. Quòd autem interrogatus scitè respondeat appellando unicè ad judicium reflexum, quo refert, quid S. Thomas, aut alii DD. classici dicant, suspensio omni prorsus judicio directo de veritate opinionis recitata, & ab aliis asserta, patet. Tum quia sic nulli errori exponitur: tum quia tali loquendi modo ferè omnes T. T. aliquando saltem utuntur: tum quia nulla datur lex ferendi judicium illud directum: tum quia omnes prudentiores, ne errent in rebus familiaribus, quotidie ita procedunt; vix enim aliquid, si incertum sit, directè affirmant, sed unicè dicunt se hoc audisse; vel homines suo judicio fide dignos, hoc dixisse: immò si

directè asserunt, quòd judicant alios prudenter dixisse, fidem illico amittent: & qui in Aulis, vel inter otiosos versantur, ubi totum negotium est, quid novi ferat Africa, si prudentes audiri velint, ad summum dicent, se à viris prudentibus hoc audisse; nil directè affirmando, aut negando de veritate, aut falsitate rei audite.

Si ergo hic modus loquendi, nempe suspendendi judicium directum de veritate rei lectæ, vel audite, & unicè appellandi ad reflexum, seu referendi, quid alii dicant, habetur merito tamquam tessera virorum eximie prudentum; cur non etiam ille modus resolvendi, & respondendi, asserendo unicè, quid classici DD. censent, suspensio omni prorsus judicio de veritate rei ab illis asserta, non habeatur tamquam prudentissimus? Rursus si Doctor interrogatus, aut consultus scitè responderet, referendo unicè, quid DD. classici licitum asserunt; optimè quoque, & licitè idiota operabitur nixus unicè eorum Doctorum dicto, tumentium tale opus licere, suspensio omni prorsus judicio de licentiâ: etenim petenti ab idiota, cur statim post mortale confessus non sit, potest idiota dupliciter respondere; & quidem utroque modo prudenter: vel dicendo, Ego non statim confessus sum, quia hoc licet; & tunc habet judicium directum de licentiâ differendi ulterius confessionem: vel dicendo, Ego non statim confessus sum, quia S. Thom. judicat hoc esse licitum, aut quia Theologus à me consultus dixit, quòd S. Thom. judicet hoc esse licitum; tunc autem habet solum reflexum de dicto S. Thom. aut Theologi à se consulti judicium, à quo dirigitur ad licitam confessionis dilationem.

Equidem nemo unquam in animum inducet meum, quòd non loquatur longè prudentius ille, qui unicè refert, quid alii fide digni dicunt, suspensio omni prorsus judicio directo de veritate alieni dicti, quàm qui veritati ab aliis dicte assentitur directè. Ratio est patens: tum quia unicè referens, quid alii fide digni censent, suspensio prorsus omni judicio directo de veritate rei ab aliis assertæ, nulli se periculo errandi materialiter exponit: econtra directè assentiens, quoties assentitur, toties exponitur periculo erroris materialis: tum quia si referens alienum viri fide digni dictum tenetur ei directè assentiri, eo ipso sequitur, quòd dum illud audit, obligatus fuerit ei directè assentiri; sed nemo hoc dicit; ergo nec illud.

Confirmo 4. exemplo Judicum; hi enim sæpe vocant testes de auditu, eosque jurare compellunt: rogo autem, an compellant

pellant jurare tantum, quod audierint; an etiam, ut judicent verum esse id, quod audierunt? Hoc secundum dici non potest, nam obligant testes ad perjurium; ergo primum: ergo sicut testis referens, & jurans, quod audierit, non assentitur rei audite, quin illi non assentiendo, prudentissime se gerit, quamvis illud ipsum a viris fide dignis audierit: ita Theologi prudentissime se gerunt, dum unice referunt, quid classici DD. dicant, etsi eidem rei a dictis DD. asserta licite, sæpe directe non assentiantur. Si ergo Theologi suspendendo illud iudicium directum, & referendo unice quid classici DD. licitum dicunt, habentur ut eximie prudentes; ita quoque operans, ut talis habendus erit, si suspensio omni iudicio directo de rei licentia, ponat illud opus sub hoc solo reflexo, S. Thom. & classici DD. hoc dicunt licitum. Ecce in hoc casu operans non assentitur directe rei ut in se licita, nam de hoc nil directe iudicat; sed unice assentitur, quod S. Thomas eam rem dicat esse in se licitam; & sub solo iudicio de excellenti Divi Thom. sapientia procedit ad eam rem ponendam: ergo sive Theologi, sive viri prudentes, sive iudices considerentur, luce clarius erit, satis esse solum modale de intrinseca probabilitate iudicium, ut quis operetur; sicut Theologis satis est iudicium modale de communitate opinionis non impugnata, aut quod aliqua opinio sit à D. Thom. alisque classicis DD. asserta; seu, quod idem est, satis illis est iudicium de extrinseca probabilitate opinionis ab ipsidem T. Thom. non rejectæ, ut quis honeste opinetur, & operetur.

§. II.

Judicium de securitate opinionis, de merito libri edendi, nec non alij obviij Theologis reflexi modi.

SUMMARIUM.

Si satis reflexum de securitate opinionis iudicium, suspensio de veritate, satis quoque reflexum de probabilitate, n. 139. 140. 141.
Judicium de securitate minus accedit ad iudicium de veritate, quam iudicium de probabilitate; si ergo illud satis, & hoc, n. 142.
Securitas, & veritas a diversis extremis, non in a probabilitas, & veritas, ib. & 143. 144.
Questio nostra de suspensione iudicij directi, & sufficientia solius reflexi, habet locum in omni sententia, sive Tutoriarum, sive Probabilioristarum, sive Probabilistarum: ostendo, n. 145.
Si satis reflexum de iustitate, aut probabilitate,

satis quoque de minori probabilitate, n. 146. 147.

Censores librorum plerumque extollunt probabilitatem, soliditatem, eruditionem, suspensio iudicio de veritate, n. 148.

Ex solo iudicio reflexo procedunt ad libri edendi necessitatem, aut licentiam, n. 149.

Arguere ex congruentia est familiare SS. PP. & Theologis, n. 152.

Sicut in omni scientia dantur plura problematica, & in illis sola probabilitas, non veritas defenditur; ita in Theologia, n. 153.

Non modicam lucem à nobis dicta haurire possunt, si sequentia considerentur, & qualiter viri prudentes in illis se gerant.

Primo, quia nullus ne quidem ex Adversariis dubitat, quod solum reflexum de opinionis securitate, sive maiori, ut Tutorie, sive minori, aut æquali, ut alij, iudicium satis prorsus sit ad honeste operandum, etsi suspendatur directum de rei veritate iudicium: ergo etiam satis erit solum modale de objectiva probabilitate veritatis iudicium, suspensio omni directo de rei veritate. Consequentia nititur antecedenti. Antecedens explicatur. Dubito ex. gr. an pictura die festo liceat, & ponderatis rationibus suspendo omne iudicium de licentia, & de non licentia, & unice appello ad iudicium de objectiva securitate opinionis negantis licere. Ecce in hoc casu nullum formo iudicium directum de objectiva veritate opinionis negantis licere; non enim opinio quia tutor, aut tuta, ideo est verior, aut vera; nec veritas à securitate, nec securitas à veritate mutuò sumuntur, ut toties diximus, & dicunt ipsimet Adversarij; ergo etsi formo iudicium de securitate opinionis negantis licere picturam die festo, nullum tamen formo iudicium de veritate ejusdem opinionis negantis licere; ergo certum prorsus est, velint, nolint Probabilioristæ obligantes ad directum de veritate opinionis iudicium, nisi sibimet contradicant, quod ut sine peccato operemur, nullum sit necessarium iudicium directum de veritate; nam in casu allato satis est iudicium de objectiva securitate opinionis negantis licere, suspensio omni directo de ejus objectiva veritate, ut quis non pingendo non peccet.

Modò ulterius procedo, & evicte hoc ipse N. so, quod non sit necessarium iudicium directum de objectiva veritate opinionis, ut quis eam sine culpa sequatur, quod ipsum P. D. Thyrsus, Palanc. & P. Muiet. in palancæ presenti negant, cum tamen alibi affirmant, P. Muiet. adeo-

adeoque sibi contradicunt; nemo enim eorum negat, quod ut quis sine culpa, aut honeste operetur, satis sit iudicium de maiori saltem objectiva securitate opinionis. Progredior ad probandum, quod si satis est iudicium de objectiva securitate, (quæcumque tandem ea sit, quod in presenti perinde est) satis quoque erit solum de objectiva probabilitate (quæcumque ea sit) iudicium.

N. 141. Ita enim arguo 1. Iudicium de securitate non est iudicium de objectiva veritate, & tamen satis est, ut quis eam opinionem licite sequatur: ergo etiam iudicium de objectiva probabilitate, etiam non sit iudicium de veritate, satis erit, ut quis eam opinionem certo probabilem sine culpa sequatur. Præstolor disparitatem.

N. 142. Arguo 2. Iudicium de securitate opinionis nullatenus accedit ad iudicium de veritate opinionis, & tamen satis est; ergo multo magis iudicium de probabilitate opinionis, quia aliquid accedit ad iudicium de veritate opinionis, satis erit. Consequentia probatur: tum quia probabilitas etiam non sit veritas, est tamen verosimilitudo; securitas autem nullatenus est verosimilitudo: tum quia securitas, & veritas à diversis prorsus extremis sumuntur; non ita verosimilitudo, & veritas: etenim securitas opinionis sumitur à distantia peccati etiam materialis; veritas autem à conformitate iudicii cum re, ut est in se; ita ut res ita sit in mente, ac est in se; & ita in se, ac est in mente: ergo securitas opinionis, & veritas opinionis longissime distant. E contra verosimilitudo opinionis, & veritas opinionis sumuntur ab extremis non ita distant; nam verosimilitudo sumitur ab apparentia veri, quam habent motiva opinionis cum opinione ut est in re.

N. 143. Quis autem negaturus erit, quod simile vero, & verum magis accedant ad idem, quam non simile vero, & verum? Sed probabilitas est similitudo veri, securitas est distantia à culpa: ergo probabilitas opinionis magis accedit ad verum, quam securitas opinionis. Sed ex conclusis, ut quis sine culpa, & honeste operetur, satis per omnes est objectiva securitas opinionis, seu solum modale de objectiva opinionis securitate iudicium, (quæcumque sit hæc securitas, sive æqualis, sive maior, sive minor, quod modo non curo) sine omni iudicio directo de objectiva veritate ejusdem securæ opinionis; ergo multo magis ad sine culpa, aut honeste operandum satis se solo erit modale de objectiva opinionis probabilitate (quæcumque hæc sit) iudicium, sublato prorsus omni directo de objectiva

Tom. III.

ejusdem opinionis probabilis veritate iudicio.

Fateor hoc argumentum tantam mihi vim inferre, ut eam evadi non posse iudicem, nisi dicatur, quod ut quis honeste operetur, non satis sit solum modale de objectiva opinionis securitate iudicium, sed præterea requiri iudicium de veritate objectiva ejusdem securæ opinionis. At hoc ipsum iure merito alibi negatur ab Adversariis contententibus licitum sequi tutiorem minus probabilem; in quo casu, juxta eisdem, implicat tum physicè, tum moraliter iudicium directum de veritate, quatenus intellectus assentiri nequit minus probabili: ergo infitutum à me argumentum demonstrat planè veritatem nostræ, & falsitatem alienæ sententiæ; nempe quod non sit semper necessarium iudicium directum de veritate; & quod, si satis se solo est reflexum de objectiva securitate, longè magis satis erit solum reflexum de objectiva probabilitate.

Memini, quod loquendo de securitate, N. & probabilitate, paulo antè dixi, *quæcumque ille sint*. Etenim supra adverti, quod hæc quaestio, an satis se solo sit iudicium de objectiva probabilitate, suspensio omni directo de objectiva veritate, locum habere possit, cum discrimine tamen, in omni sententiâ, sive negante licitum sequi minus tutam probabiliorem, ut Tutorista; sive affirmante licitum sequi minus tutam, dummodo sit probabilior, ut Probabiliorista; immò est fit minus probabilis, ut Probabilista. Siquis enim Tutorista sit, quæri potest, an satis se solo sit iudicium modale de objectiva tutoritate opinionis, omisso omni directo de objectiva veritate illius. Siquis Probabiliorista sit, quæri potest, an satis se solo sit iudicium modale de objectiva probabilitate opinionis, suspensio omni directo de objectiva veritate illius. Siquis Probabilista sit, quæri potest, an satis se solo sit iudicium modale certum de objectiva, etiam minori probabilitate opinionis, suspensio omni prorsus iudicio directo de objectiva veritate illius. Quare totum discrimen in recedendo à nostrâ assertione aliud esse nequit, quam in diverso modali iudicio, nullum autem in suspensione iudicii directi. Si enim Probabiliorista sis, unice negare poteris satis esse reflexum de objectiva minori probabilitate iudicium, sed necessarium esse reflexum de objectiva maiori probabilitate; non autem affirmare teneberis requiri directum subjective probabilius. Si Tutorista sis, unice negare poteris satis esse reflexum de objectiva maiori probabilitate; sed necessarium esse reflexum de maiori objectiva securitate iudicium; non

Bb iij autem

autem affirmare teneberis requiri directum de objectivâ veritate opinionis tutoris.

N. 146. Hinc ego, ut in materiâ satis arduâ, quia prorsus reflexâ, & à plerisque suppositâ, non agitâ, & à paucis Probabilioristis hodie discussâ, negatâ tamen; ut, inquam, pedetentim procederem, conatus sum ostendere hanc quæstionem de necessitate iudicii directi de objectivâ veritate opinionis, quam quis sequitur, locum habere posse in omni sententiâ, sive Tutoristarum, sive Probabilioristarum, sive Probabilitarum. Rursus conatus sum probare, in nullâ sententiâ requiri iudicium directum de veritate objectivâ opinionis; sed satis esse, si Tutorista sis, iudicium modale de maiori objectivâ securitate: si Certitudinista sis, satis esse modale de objectivâ morali certitudine opinionis: si Probabiliorista sis, satis esse modale de objectivâ probabilioritate opinionis: ergo, si Probabilista sis, satis quoque erit solum modale certum de objectivâ, etsi minori, probabilitate veritatis iudicium, suspensum omni directo subjectivè probabili de objectivâ veritate ejusdem opinionis minùs, certò tamen probabilis.

N. 147. Omnia siquidem, quæ dedi, argumenta, contendunt nullam dari necessitatem iudicii directi, sive subjectivè probabilis, sive probabilioris, sive moraliter certi de veritate: & omnia, quæ in nos armare possunt Adversarii, siquid probant, unice probant, ut patebit, non esse licitum sequi minùs probabilem, quod non est præsentis, sed *antece-*
dentis Tractatus: non autem probant, ut in præsentem probandum esset, necessitatem iudicii directi de objectivâ veritate; & insufficientiam solius reflexi de objectivâ minori probabilitate veritatis: etenim absolutè assero, quòd vel in omni sententiâ, sive tuente, sive negante licitum usum minùs tutæ minùs probabilis, requiratur semper directum de veritate iudicium; vel si in sententiâ Tutoristarum, aut Probabilioristarum, nullatenus requiritur, ut probavi, directum de veritate objectivâ opinionis iudicium, sed satis se solo est reflexum vel de maiori objectivâ securitate, ut Tutorista; vel de morali certitudine objectivâ, ut Certitudinista; vel de maiori objectivâ probabilitate, ut Probabiliorista; satis Probabilista, & mihi erit solum reflexum de certâ, etsi minori, objectivâ probabilitate veritatis iudicium, suspensum omni directo subjectivè probabili de objectivâ veritate opinionis, ut quis sine culpâ, & honestè opinetur, & operetur.

N. 148. Considerandi ad rem nostram veniunt librorum Censores, qui utique regulariter

ut prudentes, & eximie docti habentur, qualiter in aliorum libris censurandis se gerant. Sanè sepius pro opposita opinione militant, immò eam absoluto iudicio iudicant veram; adhuc tamen librum à se censurandum approbant. Quid igitur approbant? Non veritatem; nam plerisque libri censurandi opiniones possunt intra se falsas iudicare: ergo probabilitatem: ergo totum centorum negotium est in ferendo iudicio modali de certa probabilitate opinionum; & commendare Authoris ingenium, acumen, eruditionem, claritatem, soliditatem, & similia; concludendo nil contra fidem, & bonos mores, nil contra charitatem, bonum privatum, aut publicum eo in libro contineri. Ecce hæc, & similia Centorum clogia, (quibus Modernorum libri, & quidem manu tam plenâ abundant, ut aliquando medietatem censurandi libri excedant, quod an sapienter, & ritè fiat, viderit alius; saepe enim hæc studiosè quæsitæ sunt) hæc, inquam, clogia ut plurimum nil dicunt de veritate libri, præcipuè, si ejus opiniones sint inter DD. incerta: ergo Censores ut plurimum nullum ferunt directum de veritate iudicium, sed unice formant reflexum eadens supra ingenium, rationes, auctoritates, quibus libri Author suas conclusiones munit: hæc autem omnia sunt probabilis objectivâ. Ex hoc autem ita ego pro me arguo.

Censores, qui regulariter ut doctores, & prudentiores audiri solent, suspendunt in approbatione librorum (exteriùs saltem) directum de objectivâ propositionum censurandarum veritate iudicium, contenti unice ferre iudicium de objectivâ doctrinæ, & opinionum probabilitate, & per hoc, quòd opinio, aut doctrina libro censurando inserta reputetur ab illis probabilis, iudicant licitum, immò sæpe necessarium, ut liber publicæ luci exponatur: ergo iudicium de veritate objectivâ necessarium non est, ut libri impressio iudicetur licita, & honesta. Si ergo Censores approbant, & prælo dignum iudicant librum, qui non nisi opiniones continet, quin directum de aliquâ earum opinionum objectivâ veritate iudicium ferant; qualiter, ut quis honestè operetur, necessarium in omni singulari opinione erit iudicium directum de honestate operationis?

Confirmo 1. Ut Censores dicere possint N. librum nil habere contra fidem, & bonos mores, (quorum nomine veniunt virrutes, quæ bono publico, aut privato invigilant) satis illis est, ut opiniones libro insertæ censentur esse certò probabiles, nec necesse est, ut iudicium de earum veritate pronuntient: ergo

ergo ut in Animâ nihil sit contra fidem, & bonos mores, satis est, ut conscientia iudicet tantum, quod sit certò probabilis veritas opinionum, & honestas actionum.

N. 151. Confirmo 2. Censoribus satis est, ut determinatum, & directum ferant iudicium de hoc tantum, quod liber nec fidem, nec bonos mores offendat; de libri autem veritate nullum tenentur saltem exterius in ipsâ censurâ directum ferre iudicium, si materia sit inter Catholicos incerta; numquam enim dicunt librum stare contra veritatem, quoties opinionum veritas est probabilis: ergo Censores ad nullum directum de veritate, aut falsitate objectivâ iudicium in censurâ ferendâ obligantur, nec ad eisdem pertinet definire, num opiniones sint veræ, aut falsæ, dummodo sint certò probabiles: ergo si Censores, seu librorum Iudices ad nullum directum de veritate doctrinâ libro insertæ, iudicium tenentur, ut censeant librum typis dignum, ejusque impressionem laudabilem, & honestam; cur in aliis minoris momenti operationibus tenebitur quilibet ad directum de honestate, aut veritate objectivâ iudicium, quin satis sit reflexum de objectivâ probabilitate ejusdem objectivæ honestatis, & veritatis?

N. 152. Similiter ponderandus mihi est prudentissimus Theologorum modus, quoties investigantur congruentiæ alicujus facti, aut factibilis. Fervet tota *Tertia pars* Divi Tho. similibus congruentiis, ex. gr. cur Verbum potius, quam alia Persona carnem humanam sumpserit, & cur tali tempore, & non alio: cur naturam humanam præ Angelica Deus redemerit: cur Christus D. non plura, nec pauciora Sacramenta instituerit; cur in hac præ illâ materiâ. Fervet ubique hæc dubia; quibus solvendis non nisi congruentiis T. T. & S. S. P. P. utantur, quin illis directè assentiantur; cum congruentiæ ex se debiles sint, & vix alicujus efficaciam; sed reflexæ. Explico. Queritur, cur Christus D. anno trigesimo tertio mortuus; cur Eucharistiam potius sub panis specie, quam sub aliâ materiâ instituerit. Ubi nota me non querere, an Eucharistia sub panis specie instituta sit; hoc enim est de fide: sed hæc fide Catholicâ suppositâ, quæro, cur potius sub specie panis, quam sub aliâ materiâ instituta? Huic autem quæstioni non nisi congruentiis satisficit: quæ cum ex se modici valoris sint, vix merentur assensum directum; atque adeo ad certum reflexum, de potioritate congruentiarum, iudicium appellandum, dicendo: Quia certum est potiores dari congruentias, ut Eucharistia potius sub panis

specie, quam sub aliâ materiâ institueretur: ergo qui res determinat per certum de objectivâ probabilitate, & congruitate, veritatis, aut honestatis iudicium, omisso directo incerto de veritate congruentiarum, & opinionis objectivâ probabilitate, imitatur prudentem T. T. & S. S. Patrum arguendi, & resolvendi modum.

Demum considero quot, & quanta in N. 153. omni scientiâ problematicè defenduntur; in quibus licet utraque pars contradictionis defendatur directè, attamen ideo utraque defenditur, quia utraque supponitur probabilis: & hinc est, quod qui problemata defendunt, apponunt ut plurimum iudicium reflexum, ex. gr. Probabile est terram esse eminentiorem aquâ: Probabile est aquam esse eminentiorem terrâ: Probabile est Cælum esse fluidum: Probabile est non esse fluidum. Ecce in his omnibus, quod defenditur, non est veritas, sed probabilitas veritatis utriusque contradictorii: ergo cum in Moralibus plura quoque sint problematica, in his quoque locum habet hic discurrendi modus; non per veritatem, sed per probabilitatem veritatis: ergo etiam modus operandi consequenter ad illud reflexum de probabilitate veritatis practicæ iudicium, locum habere poterit. Quod verò in Moralibus plura sint problematica, nemo inficiabitur, nisi ille, cui omnia moralia sunt moraliter certa. Quis autem erit, cui hoc credi possit? Sanè, ut toties dixi, primæ notæ Doctores sæpe utramque vocant, sive æquè, sive non æquè probabilem; ergo utraque contradictoria potest ab illis defendi ut probabilis.

S E C T I O V.

Quarta ratio ex paritatibus insolubilibus.

§. I.

Paritas Confessarij: & Paritas obedientis.

S U M M A R I U M.

Confessarius ex solâ probabilitate opinionis penitentis sæpe dirigitur ad honestam absolutiorem, n. 154. 155. 156.

Hæc paritas probat licitum operari sub solo iudicio de minori probabilitate, suspensò omni de veritate, n. 157.

Immo cum directo de falsitate opinionis penitentis, n. 158.

Urgeo paritatem, n. 159. 160. 161.

Paritas obedientis idem evincit, n. 162.

Et quidem satis esse solum reflexum de minori probabilitate, etsi unitum cum iudicio directo de falsitate opinionis superioris, n. 163.

Omni